

in illis probationibus data fuissent, quæ de jure non fuissent admittenda. Et ibidem capitulum Aquense renunciat appellationi a se factæ super testibus non recipiendis a Guillono canonico, salvo eo, quod superius dictum est, & salvo eo, quod possunt objicere secundum jus in personas testium, & dicta eorum, exceptis personis monachorum, & clericorum. Ita tamen quod canonici non possunt objicere, quod productio ipsorum testium ipso jure sit nulla, utpote post appellationem velut non legitime facta; & ibidem utraque pars renunciat productioni testium ulterius faciendæ, nisi forte si quæstio super gravitate expensarum factarum, & futurarum inter eos emerferit, & inde plures cartas &c. Interfuerunt testes rogati Tutbonus de Gasco . . . Jacobus de Madona, Anricus Gascus, & Jacobus Notarius custos majoris Ecclesiæ Aquensis. Ego Provincialis Notarius S. Palatii &c.

*Debitum ab Episcopo Anselmo contractum cum capitulo Aquensi pro suo itinere ad concilium Provinciale.*

171

M C C X X V I.

Anno Domini MCCXXVI., indictione XIV., die Martis III. novembris, in Aquis Morando Uberto de Burgo, & nepos Morandi testibus rogatis. D. Anselmus Aquensis Episcopus confessus fuit capitulum Aquense scilicet D. M. Archipresbiterum de Cunchis, D. O. Archipresbiterum de Meladio, D. Lanfredum, Magistrum Henricum, & D. Paulum pro se mutasse, & ab eis recepisse den. bon. Papiensium libras XXVIII., & solid. XV., quos promisit canonicis restituere usque ad sex menses proximos; & si tunc non solverit, obligat ei dimidium messis suæ braidæ de S. Damiano, de qua tradit eis ad præsens possessionem, promittens ad suam expensam illam . . . posse facere duci, & de fructibus habitis eorum auctoritate debitum illud solvatur, si suppetatur; si non suppetatur, promisit eis aliunde complere, obligando bona Episcopatus. Confitebatur idem Episcopus, sicut dictam pecuniam debebat uti in utilitatem, & pro utilitate Ecclesiæ, scilicet quod expendere tenetur iturus vocatus a Domino Mediolanensi Archiepiscopo ad provincialem synodum. Ego Belengius S. Palatii Not. &c.

*Procuratio concilii provinc. Mediol. Episcopis Brixien., & Hyporegien. ad promovenda negotia, quæ habet Eccl. Aquen. in curia Romana cum Alexandrinis.*

172

M C C X X V I.

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXXVI., indictione XIV., die Lunæ XV. exeuntis novembris. In Mediolano in palatio Domini Archiepiscopi, D. Henricus miseratione divina Mediolanensis Archiepiscopus, & ejus suffraganei ad synodum provincialem vocati, scilicet D. Vercellensis, Laudensis, & alii, & specialiter Dominus Aquensis, ad quem negotium speciale pertinebat, constituerunt Dominum Brixiensem, & Iporiensem Episcopos suos nuncios, & sufficientes responsales ad promovendum

negotia Aquensis Ecclesiæ in Romana curia, & specialiter illa, quæ dicta Ecclesia habet, vel habitura est cum Alexandrinis, & cum Ecclesia Alexandrina dando eis liberam facultatem agendi, & respondendi promittentes ratum habere, quod per ipsos factum fuerit. Interfuerunt testes D. Jacobus Novariensis. Archidiaconus, & D. Henricus Archidiaconus Derthonæ. Ego Lantelmus de Casellis S. P. Not. interfui, & jussu ipsorum DD. scripsi.

*Litteræ Gregorii IX. revocantis causam capituli cum monachis ad Archiep. Mediolanen.*

M C C X X V I I.

173

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis S. Ambrosii, & S. Laurentii præpositis Mediol. sal., & Ap. Ben. Significantibus dilectis filiis Abbate, & conventu monachis sancti Petri Aquensis nos noveritis accepisse, quod cum olim capitulum S. Mariæ Aquensis ipsos super jure parochialis Ecclesiæ suæ coram Venerab. fratre nostro Aquensi Episcopo Judice ordinario non ex delegatione Apostolica convenirent, dictus Episcopus perperam in causa procedens iniquam tulit definitivam sententiam contra eos, a qua iidem Venerabilis fratris nostri Mediolanensis Archiepiscopi Metropolitanani loci audientiam appellarunt, coram quo cum super eadem causa fuisset aliquandiu disceptatum fuit ab eodem Archiepiscopo terminus, infra quem inter partes componi deberet, de partium voluntate statutus. Postmodum vero pars adversa pendente coram Domino Archiepiscopo causa ipsa super observatione definitivæ sententiæ, de appellatione, ac termini nulla per ipsos habita mentione ad Venerabilem fratrem nostrum Terdonensem Episcopum Apostolicas litteras impetravit, a quo iidem ex eo sentientes injuste gravari, quod eum excipiendo proponeret se per dictas litteras, quæ ut superius expressum de appellatione ipsa facta, ac termino non faciebant aliquam mentionem, conveniri non posse de jure, nominatus Episcopus hac exceptione contempta in ipso negotio perperam procedebat, nostram audientiam appellarunt. Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, revocato in statum debitum quidquid post appellationem hujusmodi inveneritis temere attentatum, partes ad suprascripti Archiepiscopi remittatis examen, alioquin eas ad examen posterioris judicis remittatis appellantes in expensis legitimis condemnando. Testes autem, &c. datum II. id. Januarii Pontif. nostri anno primo. Post hæc eadem forma litterarum sequebatur, supplicamus igitur paternitatem vestram, ut Ecclesiam Aquensem, quam citius poteritis, prout melius videritis expedire, dignemini visitare, quia super his, & aliis vobiscum affectamus habere tractatum. Terminus præfixus est die X. proxime veniente. Unum vobis supplicamus, quatenus, secundum quod vultis, sindicum circa hæc esse facturum nobis significetis si placet.